TENTAMEN ACADEMICUM
DE
SPONSALIBUS CLANDESTINIS
PENITUS PROSCRIBENDIS.

QUOD

SUBIIT

UNA CUM SELECTIS EX JURE ECCLESIASTICO
POSITIONIBUS VARIIS

D. JOANNES PETRUS JOSEPHUS HUNGS
AQUENSIS
JURIUM AUDITOR
IN HAC ALMA AC FLORENTISSIMA ACADEMIA ELECTORALI
MAXIMILIANEA BONNENSI

AD DIEM XXVIII. FEBRUARII ANNI MDCCLXXXII.

HORIS LOCOQUE CONSUETIS.

BONNÆ,
EX TYPOGRAPHIA ELECT. ACAD. APVD JOAN. FRID. ABSHOVEN.

TENTAMEN ACADEMICUM
DE
SPONSALIBUS CLANDESTINIS PENITUS PROSCRIBENDIS.

§. I.
OCCASIO SCRIBENDI.

Ob infinita ferè desponsandorum pericula & mala in plurimis germaniæ nostræ Ecclesiis (ceu infra ostendetur) Sponsalia exulant clandestina; nostra Diœcesis ferè unica superest, ubi Sponsalia clandestina adhuc impunè abeunt, atque ostia judiciorum ex illis quotidie pulsantur, non absque gravissimis molestiis & litigantium damnis; utut itaque innocens, justissima, æquè ac verissima sit positio: *Episcopus potest annullare Sponsalia Clandestina ceu nociva Reipublicæ & Ecclesiæ*: quondam hic propugnata, sub Crisin tamen revocata fuit à Jurisconsulto non infimæ notæ, imo accusata ceu *falsa*, & in jure *minus fundata*; quanquam is nequidem verum *clandestinitatis sponsalitiæ* Conceptum habuerit, utpote *sub Sponsalibus clandestinis* intelligens ea quæ *sinè Voto & parentum Consensu fuissent* contracta; quare operæ pretium esse putabam, breviter tentandi, num possint & expediat Sponsalia clandestina prorsus è Republica & Ecclesiâ proscribi.

§. II.

§. II.

Sponsalia ex omnium Ecclesiarum consensu & præscripto matrimoniis præmittenda, sunt aut *publica* aut *clandestina*, prout aut solo perficiuntur desponsandorum consensu, aut celebrantur adhibitis *solennitatibus* à lege *præscriptis*. *

* Oppido itaque falsum est & vel iis, qui prima de Sponsalibus principia gustârunt, notissimum, Sponsalia clandestina non esse illa, quæ contrahuntur absque parentum consensu: quare denuo hic publicè repono prædicto Jurisconsulto, quæ tum privatim desuper eidem opposui: übrigens ist zu bemerken, daß der Verfasser der unpartheyischen Gedanken sehr irre, da er nach seinem willkührlichen Begriffe per Sponsalia clandestina verstehet jene, so absque parentum & tutorum consensu beschlossen werden, und diesen Sinn dem ponenti fälschlich aufbürdet — denn ein ganz anders ist, Sponsalia clandestinè contrahi, und absque consensu parentum contrahi, die Sponsalia können *publica* seyn, sinè consensu parentum; diesen seinen offenbaren Irrthum hätte der Verfasser gar leicht aus dem Conc. Tridentino Sess. 25 de Ref. Mat. ersehen und verbessern können, wo matrimonia *clandestina* id est: absque Parocho & Testibus contracta annulliret, jene aber, so absque parentum consensu geschlossen unter den clandestinis nicht verstanden werden.

§. III.

Primis Ecclesiæ Seculis, quibus fidelibus sanctitas in servandis promissis Cordi erat, atque viguit in Tribunalibus ecclesiasticis brevitas sacerdotalis in amputandis litibus, *Sponsalia* nudo contrahentium consensu constituebantur, * ast ex quo effrenata cupiditas, sui prodiga & mater litium innumera circa materiam sponsalitiam generavit litigia, & cessare cepit sacerdotalis brevitas in amputandis litibus, mox Legislatores sacri præcipuè in Ecclesiis Germaniæ Seculo XIII. certas solennitates definierunt in contrahendis Sponsalibus deinceps observandas **.

* Vid. Rupprecht Not. Hist. ad Lib. IV. Decret. p. 78.

** Syfridus Archiepiscopus Coloniensis inter primos Legislatores ex-

extitit, qui Sponſalia clandeſtinè contracta damnavit in Synodo Coloniensi habita anno 1281 apud HARTZHEIM *Tom. III. CC. germ. pag. 666.* his Verbis: *prohibeant frequenter ſacerdotes omnibus ſubditis ſuis ſub pœna excommunicationis ne ſibi fidem dent mutuo & clandeſtinè & in occulto ſuper matrimonio contrahendo, ſed publicè coram presbytero & pluribus hoc faciant, & ſi aliter fidem dederint de contrahendo, ipſi, quos in his ſcriptis excommunicamus, denuntientur excommunicati.* — Iisdem Verbis damnavit Sponſalia clandeſtina JOANNES Ep. Leodienſis anno 1287. apud HARTZHEIM *loc. cit. p. 695.* — Anno 1291. ſub CONRADO *Archiepiscopo Salisburgenſi* contra Sponſalia clandeſtina ordinatum fuit: *ut quandocunque Sponſalia contrahuntur, non minus, quàm ſex perſonæ honeſtæ & fide dignæ interſint, quodſi ſecus fuerit attentatum, contrahentes, operam dantes, ſententiam excommunicationis incidant ipſo facto* vid. HARTZHEIM *Tom. IV. p. 3.* — Idem ordinavit Synodus Cameracenſis anno 1300 apud HARTZHEIM *loc. cit. pag. 73.* — Anno 1310 ſub BALDUINO *Archiepiscopo Trevirenſi* in Synodo habitâ, ſub pœna pariter excommunicationis prohibitum fuit, *ne Sponſalia clandeſtinè contrahantur* apud HARTZHEIM *loc. cit. p. 149.*

§. IV.

CONTINUATIO.

Ejusmodi Ordinationes contra Sponſalia clandeſtina Seculo XVI. ante Concilium Tridentinum celebratum in variis germaniæ Synodis * continuatæ fuerunt.

* Anno 1520 LUDOVICUS Episcopus TORNACENSIS in Synodo habita prohibuit, *Curatis & Vice-Curatis, ne ad matrimonii ſolemnizationem admittant illos, quos ſciverint Sponſalia clandeſtinè contraxiſſe* HARTZHEIM T. VI. p. 154. Concilium CAMERACENSE contra Sponſalia clandeſtina anno 1550. idem decernit, *ut Sponſalia contrahantur coram alterutrius deſponſandi Parocho & teſtibus* apud HARTZHEIM loc. cit. p. 702 — Adde Ordinationem Concilii GLACENSIS eodem anno apud HARTZHEIM loc. cit. pag. 805.

§. V.

§. V.

Continuatio.

Post Concilium Tridentinum ceu Oecumenicum quamplurimæ Ordinationes particulares in Ecclesiis germaniæ prodierunt, queis Sponsalia clandestina damnantur ab Episcopis *, ut inde ad oculum pateat, falsissimam esse Sententiam Theologorum & Canonistarum asserentium, contra Sponsalia clandestina ab Episcopis nihil agi posse reluctante Concilio Tridentino.

* Has Ordinationes specialissimas ex ordine hic adferam:

A) Synodus Cameracensis habita anno 1567. (tertio post absolutum Concilium Tridentinum anno) *antiquum hujus Ecclesiæ Decretum innovantes præcipimus; ne Sponsalia contrahantur nisi coram proprio alterius contrahentium Parocho, qui aliter contraxerint, ad matrimonium contrahendum non admittantur.* Vid. Hartzheim Tom. VII. p. 225.

B) Synodus Namurcensis habita anno 1570. apud Hartzheim l. cit. pag. 637. *laudabilem consuetudinem, quâ Sponsalia nonnisi coram Parocho & testibus fide dignis contrahantur, omnes observent.*

C) Synodus Gandavensis habita anno 1571. apud Hartzheim l. cit. pag. 681. ità ordinat: *sicut rectè in Concilio Tridentino matrimonia clandestina annullantur: ità quoque Sponsalia de futuro, aliter quàm coram alterutrius Parocho & duobus ad minùs testibus vetamus*— quî igitur subsistet doctrina interpretum, quà Ordinationes speciales Episcoporum Sponsalia clandestina annullantes dicunt non convenire cum Concilio Tridentino.

D) Eodem anno Laurentius Episcopus Buscoducensis in Synodo apud Hartzheim l. cit. p. 717. prohibuit: *ne Sponsalia aliter, quam coram alterutrius Parocho & duobus testibus contrahantur, atque taliter contrahentes ad matrimonium solennizandum nullatenus admittantur.*

E) Synodus Tornacensis habita anno 1574 apud Hartzheim l. cit. p. 775. similiter ordinat: *Sponsalia de futuro, quas affidationes vocant, non aliter fiant, quàm in loco sacro & in manibus Parochi vel alterius Sacerdotis ex nostra vel Parochi licentia duobus præsentibus.*

F) In Synodo IPRENSI habita anno 1577 de iis ità decernitur: *solùm coram proprio alterius contrahentium Parocho & adhibitis fide dignis testibus Sponsalia celebrari mandamus.* *Vid. HARTZHEIM loc. cit. pag. 855.

G) Concilum AUDOMACENSE celebratum anno 1583 ordinat: *in Sponsalibus contrahendis adsit proprius alterius contrahentium Parochus, adhibeantûrque testes fide digni.* HARTZHEIM l. cit. p. 936.

H) Synodus ipsa TRIDENTINA particularis (cujus patribus utique nota esse debuit mens Patrum Concilii Tridentini) habita anno 1593. apud HARTZHEIM Tom. VIII. p. 418 de Matrimonio clandestino æquè ac Sponsalibus clandestinis ordinat: *ut, sicuti à Clandestinis Matrimoniis ità etiam à Clancularis & furtivis promissionibus & pactis de contrahendo abstineant.*

I) Similiter Synodus TORNACENSIS habita anno 1600 in terminis confirmat ordinatum Synodi Tornacensis (lit. E.) apud HARTZHEIM loc. cit. p. 485.

K) Concilium pariter CONSTANTIENSE habitum anno 1609 apud HARTZHEIM l. cit. p. 872. statuit: *Sponsalia posthac non fiant in angulis, sed coram aliquot testibus, in domo aliqua honesta . . . præsente etiam Parocho.* Imo in formula vulgari & Germanica omnibus fidelibus publicanda ait: daß das Eheliche Versprechen, wann es in Gegenwart des Pfarrherren und zweyer oder dreyer Gezeugen, wie obgemeld nicht vollzogen, unbündlich und kraftlos seye. HARTZHEIM l. cit. p. 439

L) Concilium SEDUNENSE habitum anno 1626 apud HARTZHEIM Tom. IX. pag. 387. ità inquit: *volumus & mandamus, ut Sponsalia coram aliquot testibus & Parocho fiant per verba de futuro, atque Sponsalia clandestina declaramus nulla, etiamsi copula carnalis intercesserit, ità enim vitabuntur discordiæ & simultates infinitæ.*

M) Synodus CAMERACENSIS habita anno 1631 confirmat Statuta Diœcesana contra Sponsalia clandestina. Vid HARTZHEIM l cit. p. 555.

N) Concilium NAMURCENSE habitum anno 1639 ordinat: *Sponsalia nonnisi coram alterutrius desponsandorum Parocho contrahantur, nec etiam*

etiam alibi, quam publicè in Ecclesia & præsentibus testibus. Vid. HARTZHEIM loc. cit. pag. 584.

O) Synodus ANTWERPIENSIS celebrata anno 1643 decrevit: *ut Sponsalia solemnicentur coram proprio Parocho superpelliceo & stola induto.* HARTZHEIM l. cit. p. 644.

P) Episcopi *Lausanensis* & *Constantiensis* anno 1673 Sponsalia clandestina damnàrunt, & nulla declaràrunt, & quidem his verbis: *conformiter ad mentem Concilii Tridentini Sponsalia clandestina nulla declaramus.* Vid. GOBAT Theol. mor. Tom. I. P. II. p. 366.

Q) In Synodo BRUGENSI de anno 1699 ità ordinatum esse legimus apud HARTZHEIM Tom. X. p. 199.: *decentia & praxis communis exigunt ut Sponsalia & Matrimonium contrahantur coram Parocho sponsæ, cui imposterum omnes se conformare tenebuntur.*

§. VI.

CONTINUATIO.

Plures quoque Ecclesiarum germaniæ Præsules post Concilium Tridentinum lege speciáli extra Synodos hoc Seculo latâ damnàrunt Sponsalia clandestina ceu nociva Reipublicæ & Ecclesiæ *.

* Siquidem

A) Archiepiscopus SALISBURGENSIS anno 1726 die 9. Februarii Decretum edidit sequentis tenoris: "Statuimus, ut Sponsalia clandestina „ etiam jurata aut consuetis donis firmata, quæ absque præsentia „ duorum vel trium testium inita sunt, pro nullis & invalidis „ haberi, tanquam penitus prohibitos & firmitate carentes contractus „ cassari, partibus audientia denegari, à judicibus & tribunalibus „ repelli & illæ pro merito ac qualitate delicti puniri debeant, ut „ alii à memoratis contractibus deterriti eosdem amittant, & inde „ enata probra ac libidines præscindantur.

B) Princeps FULDENSIS anno 1730 t. t. adhuc Abbas ADOLPHUS contra Sponsalia clandestina edidit legem inhæsivam, quam ceu notatu dignam, hìc integram adpono, ut palam fiat, Abbatem adeò Sponsalia clandestina damnâsse: Wir ADOLPHUS &c. gleichwie seith

unserer

unserer durch Gottes Gnad und Fürsichtigkeit angetrettenen fürstlichen Regierung ꝛc. also haben wir uns auch gnädigst dahin versehen, es wurde deme von unserem Herrn Vorfahrer Adalberto unterm 28ten Februarii 1710 publicirten Prohibitional- und respectivè Pœnal-Decreto gegen die heimliche Winkel-Eheversprechungen der unbesonnenen Jugend schuldigst und gehorsamst nachgelebet worden seyn. Da wir nun aber, und zwar nicht ohne sonderbahres Mißfallen vernehmen müßen, daß zeithero verschiedentliche von oberegten Verordnungen Adalberti abgetretten und durch heimliche Winkel-Eheversprechungen sich zusammen verlobet haben; wodurch der Höchste Gott beleidiget, die Elteren betrübt, das gemeine Weesen geärgeret, und denen also vorbelobten selbste Schand und Spott auf den Hals gewelzet worden. Wir aber sothanen höchststräflichen Unordnungen abhülfliche Maaß zu setzen ernstlich gesonnen seyn, als thuen wir jedermänlichen kund und zu wissen, daß diejenige, so sich zusammen verloben und versprechen willens, ein solches anders nicht als mit entweders beyderseiths Eltern Vorwissen, oder wenigstens in Anwesenheit zweyer Zeugen vornehmen sollen, welches sie demnach des Orths Pfarrern gleichwohlen anzeigen können; sollte aber jemand von unseren Stifts-Unterthanen gegen dieses unseres Gnädigsten Decretum inskünftig ungehorsamlich handlen, und darunter so strittig werden, daß die Sach zu gerichtlicher Erkantnuß gelangen thäte, als sollen dieselbige nicht allein von dem uns nachgesetzten geistlichen Consistorio abgewiesen, und wan zugleich ein Schwängerungen darzukommen wäre, sie dannoch gehörloß gelassen, sondern auch mit unausbleiblicher schwerer Strafe und Andung angesehen werden.

C) Archiepiscopus Pragensis MAURITIUS GUSTAVUS a. 1746 similem pro Archidiœcesi suâ Dispositionem fecit Synodalem: "Ad præcaven-
„das fraudes varias, dolos non rarò etiam perjuria Circumventiones,
„aliáque tam ipsarum partium ad Depauperationem usque litigantium
„quàm aliorum incommoda ac optimorum parentum sæpissimè tristi-
„tiam & tædia, quæ Occasione clandestinorum sponsaliorum nimis
„sæpè eveniunt & committuntur, statuit, siqui aliter Sponsalia quàm
„coràm duobus tritus testibus idoneis & jure non prohibitis, quibus
„urgente

„urgente necessitate concludenter probari possint, aut per authenti-
„cum instrumentum scriptum ab utraque contrahentium parte propriâ
„subscriptione roboratum (qui posterior probandi modus de Personis,
„quæ sui juris sunt, intelligendus est) contracta fuerint, & dein in
„hac Curia Archiepiscopali actionem judicialem intentare vellent,
„non esse audiendas, sed à limine Judicii repellendas".

D) Eminentissimus Archiepiscopus Trevirensis JOAN. PHILIPPUS an. 1757. 10. Febr. pro Treviratu Decretum edidit, quo voluit, *Sponsalia aliter non contrahi, quàm præsente Parocho vel duobus aliis testibus fide dignis; secùs verò Contracta sint nullius effectûs:* Proin Sponsalia clandestina destituta sunt actione, eáque in Judiciis nullatenus attenduntur: sed quia, plus quàm denegationem actionis importare videbantur hæc verba: *sint nullius effectus*: responsum fuit ab Eminentissimo ejusdem Successore consulto: num Sponsalia ejusmodi pro Conscientia quoque sint irrita? *etiam pro foro Conscientiæ esse nulla.* Quærebatur dein: an saltem *jurata clandestina* valerent? Responsum fuit in Contradictorio, quod non: quia ratio ea prohibendi fuisset *bonum publicum*, contra quod non valet Juramentum: absque dubio hic subintrat illud tritum juris: *Lex justa pro foro externo censetur quoque justa pro foro interno*: leges illas contra Sponsalia clandestina justas esse pro foro externo, nemo inficiabitur.

§. VI.

Sponsalia clandestina in Archidiœcesi Coloniensi.

Post recensitas tot Ordinationes specialissimas contra Sponsalia clandestina ad Diœcesin Nostram Coloniensem facio transitum, pro quâ Patres in Synodo Coloniensi novissima MAXIMILIANI HENRICI anno 1662 Sponsalia clandestina declarârunt valida *, clandestinè tamen contrahentes *pœna trium florenorum Rhenensium Aureorum* puniendos esse ordinârunt **.

* *P. II. Tit. XI. Cap. I. §. 1.* ibi: *Certum est Sponsalia sive publicè sive privatim absque præsentia Parochi & testium contracta valida esse, nec sinè peccato posse violari.* — Patres Colonienses absque dubio præ oculis habuêre Constitutionem Synodi OSNABRUGENSIS de anno 1628 ubi eadem in Verbis decernuntur contra Sponsalia clandestina apud HARTZHEIM *Tom. X. p.* 457. Mirandum sanè hic est, relictâ ac prorsus neglectâ aliarum ordinationum Copia PP. Colonienses unicè respectum habuisse ad unius hujus Synodi Constitutionem, eamque de Verbo ad Verbum secutos esse.

** *Loc. cit.* §. 2. Oppidò hìc constat, Patres Coloniensis turpitudinem agnovisse in Sponsalibus clandestinis, adjectâ quippe pœnâ contra clandestinè contrahentes.

§. VII.

CONTINUATIO.

Delatis ad Serenissimum Archiepiscopum Coloniensem CLEMENTEM AUGUSTUM querelis gravissimis contra Sponsalia clandestina, is equidem subvenire abusibus voluit, sed non aliter quàm Consulto Pontifice BENEDICTO XIV. atque ex hujus Consilio rogavit anno 1755 de dato Bononiæ 16. Dec. Decretum sequentis tenoris *:

* Re ultrò citroque propensa idem S. S. D. N. censuit à Nobis haud deveniendum ad Legem ferendam nullitatis ex præciso Capite clandestinitatis, sed adversus graves abusus sæpè sæpius ex clandestinis Sponsalibus suborientes sufficiens remedium existimat repositum in vestri judicis officii debitâ administratione, si nempe in casibus particularibus cum aliquali rigore processeritis; ponit enim Beat. Pater, *posse vos absque multa hæsitatione dissolvere sponsalium ligarum, quoties filii, filiæque familias præsertim minores sese obligaverint ad Sponsalia talibus im circumstantiis, ut parentes eorum sive tutores rationabiliter sese illis opponant, perque Sponsalium effectuationem nasci possent gravia scandala, familiarum inimicitiæ ac disturbia, sed & una partium contrahentium à Contractu recedere intendit*, dummodo tamen sive post datam promissionem, sive ante illam sub illiusque fide haud fuerit facta copula carnalis, siquidem tali casu Sponsalia dari effectui debebunt adhibitis etiam validissimis remediis per Ss. Canones subministratis. Quod si verò ambo contrahentes ad Sponsalium effectuationem insisterent, non obstante parentum sive tutorum suorum contradictione, renuntiando cuivis proprio præjudicio, tali casu non erit vobis prohibitum contrahentes experiri per aliquod tempus aut in carcere discreto, aut alià simili pœnâ personarum qualitati proportionatâ. Insuper de mente ejusdem S. D. N. possunt etiam quandoque Sponsalia à vobis rescindi, si constiterit, quod alter Sponsorum ad ea contrahendum abreptus fuisset tali amoris vehementiâ, alteriusve passionis, quæ concurrente seductione, alterâve circumstantiâ suadere posset, non adfuisse in consensu sufficientem deliberationem, uti etiam, si dictus con-

consensus præstitus fuisset tempore ebrietatis, quæ tamen sit talis, ut per eam tollatur usus rectæ rationis, quamvis in his duobus casibus *Passionis* scilicet, & *Ebrietatis* idem Beat. Pater consultum velit, ut à judice valde circumspectè procedatur, eò quod non sit ita facile, ut una alteravé in eo sit gradu, qui requiritur ad hoc, ut dici possit, non intervenisse sufficiens judicium ad contrahendam obligationem: cum tamen hoc non sit de planè impossibilibus, sanctitas sua statuit & hoc non nullam attentionem mereri; Demum ad Ejusdem sanctitatis suæ mentem Vobis hic expressam, quamque nos inparticulari pro lege veneramur, *quotiescunque sine Concursu Copulæ ipsis Sponsalibus contradicere continget Sponsorum parentes sive tutores, atque una contrahentium partium à Contractu recedere intendit, haud vos eritis ad decernendam rescissionem multum difficiles*: hæc ad Directionem vestram in judicio ferendo vobis nota esse volumus. Datum Bononiæ 16. 7bris 1755.

CLEMENS AUGUSTUS ELECTOR.

(L.S.)

BOMBAY mppria.

§. VIII.

CONTINUATIO.

Circa Ordinationem istam duo præcipué investiganda sunt: 1) *an pro rogando Decreto contra Sponsalia clandestina necessaria sit authoritas Summi Pontificis?* 2) *an Decreto altè fato satis sit prospectum contra abusus reipublicæ & Ecclesiæ ex Sponsalibus clandestinis oriri solitos?* &c. ad utrumque: NEGATIVE.

Equidem A) fateor, à Concilio Tridentino nihil esse Statutum contra Sponsalia clandestina; ast quis inde concludet, Episcopis esse ademptam potestatem, Sponsalia clandestina prorsus annullandi ut nulla ex iis obligatio nascatur & actio? Certè nullus negare potest, Episcopum posse in suâ Diœcesi Sponsalia clandestina *ùt illicita* prohibere, etsi jure Tridentini non sint damnata ùt illicita; eccur non poterit ea prorsus reddere *invalida*; nec enim Jus commune, nec Concilium Tridentinum hanc Episcopo potestatem ullibi ademisse legitur — Sanè Ordinationes tanto numero contra Sponsalia clandestina mox post Concilium Tridentinum non prodiissent ab Episcopis (*vid. §. V.*) si credidissent in jure communi aut Tridentino hanc potestatem sibi fuisse ademptam non consulto prævio Pontifice

tifice — Qui contrarium tuentur, ſine canone & lege loquuntur, quod prorſus reprobandum eſt ceu *incivile* in Jurisconſulto. (*vid.* §. I.) — Circa Sponſalia igitur clandeſtina ſalva ſubſiſtit nativa Episcoporum poteſtas, vi cujus poteſt ea omnia, quæ pro communi ſuæ Diœceſis bono vel utilia vel neceſſaria videntur; Imo ipſe BENEDICTUS XIV. *Inſt.* 46. laudat Conſtitutiones *irritantes* Sponſalia clandeſtina ceu *juſtas ac ſanctas atque ad eliminandos abuſus quodammodo neceſſarias.* Unde rectiſſimè ait P. WOLFGANGUS SCHMIDT in *ſuis Inſt. J. E. Lib. 3. p. 151. de juſtitia ac valore legum contra Sponſalia clandeſtina non eſt cur dubitemus.*

Porro B) non ſatis eſſe proſpectum bono Reipublicæ & Eccleſiæ contra abuſus ex Sponſalibus clandeſtinis exortos per altè fatam legem quotidiana teſtis eſt experientia; Etenim I.) ex Sponſalibus clandeſtinis conceditur actio contra renitentem, atque partes litigantes coguntur experiri graviſſimis ſumptibus in Judicio; ut ferè ad paupertatem usque utrimque litigetur; exhauſtis demum litigandi viribus pars renitens ùtùt averſo à parte altera animo ad matrimonium condemnatur, quod promiſerat clanculo æſtu abrepta libidinis, & blanditiis, ex quo mala ſequuntur inextricabilia, matrimonia coacta, quæ infauſtos & difficiles ſolent habere exitus ceu loquitur Cap. 17. *De Sponſalibus.*— II.) Sponſalia clandeſtina quia difficulter probantur in judiciis, *juramento* in praxi locus eſt, inde perſæpè nascuntur perjuria, ut pars renitens pejerare malit, quàm cum Sponſo, erga quem renitentia & interna animi averſio amorem conjugalem in renitente penitus ſuffocavit, individuam vitæ inire ſocietatem.— III.) Perdurant peccandi pericula & occaſiones, etenim ſæpe æſtu libidinis ad peccata rapiuntur, datâ Sponſæ clandeſtinâ fide de matrimonio contrahendo, quod non fieret, ſi Sponſa noſſet ſibi nullam ex clandeſtinis ejusmodi promiſſionibus obligationem & actionem dari. — IV.) Evitarentur lege contra Sponſalia clandeſtina latà graves inter familias etiam nobiles inimicitiæ, aliáque non levia incommoda & mala, parentum Contriſtationes &c. — V.) Quodſi etiam ſecundùm legem altefatam Sponſalia reſcindantur à Judice eccleſiaſtico, ſupereſt remedium appellationis ad extera tribunalia, etiam Romana, quà ratione procraſtinantur lites, matrimonia impediuntur non absque præſenti incontinentiæ & animarum periculo.— Quare concludo Verbis celeberrimi germaniæ Juris Anteceſſoris cl. BARTHELII ad *Tit. de Sponſ. Optandum eſſet, & quam maximè expediret Eccleſiæ* (Coloniensi) *planè annullari & irrita declarari Sponſalia clandeſtinè Contracta, ſicut jam in pluribus Diœceſibus practicatur*, atque hæc contra Jurisconſultum (§. I.) inconſultè loquentem

DIXI.

PARERGA
EX JURE ECCLESIASTICO.

I. Ecclesiam christianam cætum novum à Synagoga plane distinctum, & Societatem inæqualem contra Protestantes esse, citra dubium positum est.

II. Hæc gaudet Imperio spirituali, quia ulla potestas illi competat in temporalia Regum & Principum.

III. Quia vero Ecclesia est Societas distincta à republica, & Ecclesia est in republica, non vero hæc in illa, inde imperanti civili competit jus circa sacra, ne bono reipublicæ damni quidpiam inferatur, unde ei concedendum est jus inspectionis, jus cavendi circa sacra, & jus placeti.

IV. Sola Ecclesia christiana sive dispersa, sive congregata in Concilio æcumenico in discernendis fidei & morum Controversiis infallibilis est.

V. Vi Pacti Calixtini authoritas Imperatoris, si ex jure devoluto Ecclesiæ germaniæ, cui feuda Imperii incorporata sunt, providendum sit, excludi nequit.

VI. Concordatis Germaniæ, ut veris Pactis à Papa nequidem ex plenitudine potestatis derogari potest.

VII. Sub textu Concordatorum Achaffenburgensium *de cæteris vero dignitatibus* PRÆPOSITURÆ ET COMMENDÆ non intelliguntur.

VIII. Bullæ quotquot post Concordata editæ, & Reservationes in se continentes pro Germania non obligant.

IX. Inde quid sentiendum de Bulla *Quanta Ecclesiæ* facili negotio elicitur.

X. Princeps acatholicus ad sacra catholicorum reversus, tuto retinet bona ecclesiastica per Pacem Westphalicam sæcularisata.

XI. Quæcunque systemata excogitaverunt protestantes post P. W. contra principia majorum suorum, hæc tamen non nocent juribus catholicorum in P. W. stabilitis.

XII. In erectione novi Episcopatus Consensus illorum, quorum interest requiritur.

XIII. Indultum Archiepiscoporum pro conferendis beneficiis in mense papali vacantibus est remuneratorium, & ex origine sua perpetuum.

XIV. Inde indultum quinquennale Archiepiscopis non est necessarium.

XV. Quod Episcopis Germaniæ electis, sed nondum confirmatis, & destitutis brevi papali non competat administratio in temporalibus & spiritualibus salvis concordatis defendi nequit; hoc autem ad Episcopum postulatum non est extendendum.

XVI. Clerici in Thesi sunt subjecti legibus civilibus qua cives, nisi exemptionem ab imperante civili concessum doceant.

XVII. Corpora ecclesiastica non aliis gaudent Privilegiis; quam quæ jure expresso probari possunt.

XVIII. Si Electio concurrat cum postulatione, ut postulatio valeat requiruntur duæ tertiæ non respectu totius capituli, sed respectu eligentium.

XIX. Si autem Papa nolit admittere dicto modo postulatum, Electionem oppositam confirmare tenetur.

XX. Parochis nulla competit Jurisdictio pro foro externo, competit tamen ex Concordatis Patriæ Coloniensis Decanis ruralibus pro Ducatu Juliæ & Montium.

XXI. Privilegium fori clericis concessum, neque ex jure divino, neque ex jure ecclesiastico, sed unice ex concessione imperantium descendit.

XXII. Clericus valide & licite ex L. 51. C. *de Episcopis & Clericis* privilegio fori renuntiare potest non *jure decretalium.*

XXIII. In dubio an causa pertineat ad forum ecclesiasticum nec ne? Quale forum fundatum sit coram exponemus.

XXIV. Causæ civiles nullo modo ad curiam romanam trahi posse docet rescriptum Josephi Imi ad Colonienses de anno 1707.

XXV. Literas apostolicas aut alias quascunque, in quibus narratur aliquem dignitati, beneficio aut juri renuntiasse, aut privatum esse nil probare, ex concordatis indubitatum est.

XXVI. Jure majorum & non minorum clericus minor contra resignationem à se factam restitui debet.

XXVII. Theoriæ omnino repugnat praxis, quod semiplene probans admitmitratur ad juramentum suppletorium.

XXIII. Cælibatus nec spiritui primævæ Ecclesiæ, nec juri naturæ, nec libertati conscientiæ repugnat, inde protestantes non possunt inire matrimonium, & simul retinere beneficium; ubi in anno normali in statu cælibatus vixerant.

XXIX. Nec minorista, nec precista sequendo militiam amittit ipso facto beneficium, bene tamen ineundo matrimonium.

XXX. Clericis regularibus simpliciter, & sine ulla distinctione in S. Concilio Viennensi Oecumenico venationem esse prohibitam certum est.

XXXI.

XXXI. Cum Episcopi germaniæ insimul sint Status Imperii illos ad strictam residentiam jure divino contra Cl. ESPENIUM non esse obligatos sustineo.

XXXII. Obligationem residentiæ Canonicorum ex jure naturæ descendere mihi non est dubium.

XXXIII. Beneficia juris Patronatus ecclesiastici post concordata fundata non subsunt reservationi mensium papalium, nec quæ ante Concordata & a patronis post illa, in quocunque mense, si vacent, conferuntur.

XXXIV. Papa pro germania in Legibus fundationis dispensare nequit.

XXXV. Jus primariarum Precum non ex Indultu papali, ut ait Benedictus XIV. nec ex jure Patronatus, sed ex consuetudine antiqua fundata in jure advocatiæ derivatur.

XXXVI. Praxis, quod Precista annum pastoralem non habens optare possit decaniam, non convenit spiritui Ecclesiæ christianæ.

XXXVII. Preces Archiepiscoporum potius *territoriales* quam *archiepiscopales* dicendæ sunt.

XXXVIII. Ex Consilio Tridentino Episcopis Jus est Notarios etiam Cæsareos cogendi, ut in suis Dicasteriis immatriculentur.

XXXIX. Ex eodem Consilio Tridentino Quæstio *an dandus sit Coadjutor* ad *solum* Pontificem spectat.

XL. Ad abrogandum Thurnum vota unanimia requiruntur.

XLI. Suspensus a Decano & Capitulo mere disciplinariter non habet votum in Capitulo.

XLII. Ad alienationem rerum ecclesiasticarum non sufficit, ut rubrica docet cap. 2. *de his quæ fiunt a Prælatis* consensus tacitus capituli.

XLIII. In alienatione rei Ecclesiæ regularis sufficit consensus prælati & capituli; quin requiratur consensus Superioris Ordinis.

XLIV. Præscriptionem extraordinariam in rebus Ecclesiæ male alienatis locum habere sustineo, non obstante *extravagante ambit.*

XLV. Capitulis germaniæ Condominium in Jura territorialia non competere ex Rescripto Leopoldi ad Capitulum Herbipolense patet.

XLVI. Capitula germaniæ Sede vacante non gaudent Foro Austregali in Negotiis Capitulum tantum concernentibus bene tamen in causis territorii.

XLVII. Ex cap. 43. *de Electionibus* non sequitur generaliter *Collegia mixta Canonissarum a Pontifice non esse approbata.*

XLVIII. Non gaudet Abbatia annis gratiæ, si cum consensu Episcopi regularis habens Parochiam moriatur.

XLIX.

XLIX. Contractus vi ac metu extortus non est obligatorius, licet juramento fuerit confirmatus.

L. Verba cap. 4. *de locato conducto* nisi celeri mora *emphyteuta* consulere studuisset, explico: tamdiu, quamdiu res adhuc integra & Sententia privationis nondum lata est.

LI. Resignationes per permutationem cum consensu Episcopi factas non subesse regulæ de viginti in Theoria sustineo.

LII. Episcopo regulari sine testamento morienti succedit Ecclesia non Monasterium ex cap. 7. & 12. *de Testamentis.*

LIII. Religiosus ad sacra Protestantium transiens nullo modo potest hæreditatem prætendere intuitu libertatis conscientiæ.

LIV. Pastor primitivus sive Monasterium sive Capitulum percipiens decimas tenetur pastori actuali ad congruam sustentationem.

LV. Imperanti civili Jus est determinandi dotem Monasterio inserendam.

LVI. Distinctio juris patronatus in Ecclesiasticum & laicale olim non erat, sed ex Capitulis a Glossatoribus male intellectis orta est.

LVII. Cum Asylum a concessione Imperantium proveniat Epiſcopi non sunt inviti, si ab illis causa exigente limitetur.

LVIII. Episcopus potest annullare Sponsalia clandestina, ut docet Synodus Coloniensis de anno 1281 sub Sigfrido habita.

LVIX. Domino territoriali Jus competit annullandi Sponsalia clandestina Protestantium, licet illa in anno normali viguerint.

LX. Imperans civilis olim Jus exercuit statuendi impedimenta matrimonii.

LXI. Quia Ecclesiæ nulla alia Jurisdictio quam Spiritualis competit, hinc *Jus Carcerum & Torturarum* ei denegatur.

LXII. Excommunicationes latæ sententiæ & menti Christi, & praxi antiquæ Ecclesiæ non conveniunt.

LXIII. Quare Excommunicationes latæ Sententiæ in Synodo Coloniensi sub Philiberto anno 887 habita reprobatæ sunt.

LXIV. Usuræ moderatæ non repugnant juri naturæ, imo licitæ sunt ex recessu Imperii novissimo de anno 1654.

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black

TIFFEN® Gray Scale

© The Tiffen Company, 2007

R G B W G K C Y M

A 1 2 3 4 5 6 M 8 9 10 11 12 13 14 15 B 17 18 19